

CAPUT IV.

DE RITU CELEBRANDI CAPITULA NOSTRA¹.§ I. — *De ritu servando in Capitulo generali.*

1614. Minister Generalis congruo tempore ante expletum officii tempus, citatorias seu convocatorias Litteras ad totius Ordinis Ministros Provinciales mittat, quibus locum ac tempus futuri generalis Capituli celebrandi indicet, nec non eos, quibus simul cum Provincialibus competit ad Capitulum generale convenire (nimirum Custodes), si iam non electi fuerint, eligendos praescribat.

1615. Mortuo P. Generali durante suo officio, Procurator Generalis ad normam Constitutionum Capitulum convocat; Ordinis vero regimen et praesidentia Capituli, usque ad electionem sex Definitorum inclusive, ad Vicarium Generalem, respective primum Definitorem Generalem pertinet.

1616. Minister Generalis etiam opportuno tempore inter Capitulares tres designabit, qui triduo Capituli panegyricos recitabunt sermones; et primus quidem sermo de SSmo Sacramento, secundus de Immaculata Conceptione B. M. V., et tertius de S. P. N. Francisco dicatur.

1617. Capitularibus omnibus (aut quasi omnibus) in loco Capituli congregatis, Minister Generalis tribus aut quatuor diebus ante diem electionum, post Vesperas,

¹ Ex variarum Provinciarum Ord. Caeremonialibus.

Capitulum aperiet cum convenienti sermone et quidem in lingua latina, ut ab omnibus intelligatur, Capitularibus facultatem tribuet absolvendi a casibus reservatis, ac pro crastina die horam indicabit, qua Custodes coram Definitorio Generali comparere debeant ad praesentandas Litteras testimoniales pro admissione ad Capitulum.

1618. Ad Vesperas Feriae quintae praecedentis electiones, exponetur in Altari maiori SSmum Sacramentum ad formam XL Horarum; designabuntur in speciali elencho Capitulares et Religiosi familiae, qui die noctuque coram Sanctissimo vigilabunt et orabunt. Prima hora adorationis pertinet ad ipsum Ministrum Generalem, eiusque Definitorium.

1619. Prima hora adorationis terminata, congregabuntur Capitulares in refectorio, et Minister Generalis secundum sermonem pronuntiabit de electionibus capitularibus faciendis, id est de gravitate huius negotii, de gravi officio eligendi digniores ad praelaturas Ordinis, de qualitatibus eligendorum etc., ac simul ea omnia ordinabit et annuntiabit, quae die sequenti servanda sunt.

1620. Matutinum pro Feria sexta dicetur hora secunda post mediam noctem. Ad Laudes incipient Missae iuxta ordinem in elencho, qui in loco publico et omnibus accessibili est expositus, indicatum.

1621. Hora determinata omnes Missae finitae sint. Deinde celebretur ab ipso Ministro Generali Missa de Spiritu sancto (vide pag. 241), cui omnes Capitulares interesse tenentur. Post Elevationem dicitur Hymnus *Veni Creator*, cum respectivis Versiculis et Orationibus (vide n. 1535); Orationes dicuntur a primo Definitore.

1622. In refectorio iam parata sint carta, atramentum, cera seu etiam fragmenta hostiarum, duo vasa pro recipiendis schedulis, grandis numerus schedarum, acus cum filo, lumen et focus pro comburendis schedulis, Constitutiones, hoc Caeremoniale, et quidquid necessarium est pro scrutiniis. Adsint tot mensae ac sedilia, quot necessaria sunt pro Capitularibus, mensa propria pro Scrutinatoribus, elenchus, saltem in duobus exemplaribus, omnium Capitularium cum integra intestatione pro promulgationibus, ita ut Scrutinatores nihil addere debeant, nisi numerum votorum et propriam subscriptionem; insuper tot exemplaria elenchi omnium Capitularium quot sunt Vocales, sed sine intestatione.

1623. Post Missam datur primum signum prolixius ad tegulam refectorii pro Capituli congregatione; post quadrantem secundum, sub quo Vocales ad aulam capitularem i. e. refectorium accelerant, muniti penna et atramento. Tertium tandem signum datur ad nutum Ministri Generalis.

1624. Vocalibus omnibus cum Ministro Generali in refectorio unitis, praeleguntur ab aliquo Capitulari ad hoc designato a Praeside nomina Vocalium, et singuli nominati respondebunt: *Adsum.*

1625. Leguntur quoque Litterae convocatoriae Capituli, e Constitutionibus nostris Cap. 8, incipiendo a verbis: *In omni electione.....* usque ad verba: *Clerici quamvis non sint Subdiaconi exclusive, cum aliis: Quoad Capitulum Generale ordinatur....* usque ad illa: *Ita similiter in Capitulis Provincialibus exclusive;* et Decretum Clementis VIII et Urbani VIII. Haec omnia, ad lucrandum tempus, Feria V ad coenam legi possunt.

E CONSTITUTIONIBUS ORDINIS. CAP. VIII.

In omni electione procedant Fratres pure, simpliciter, sancte et canonice, adnitentes, iuxta Christi nostri piissimi Domini consilium, quando ad eius nuptias sunt invitati, postremum cum ipsomet, non vero priorem cum Lucifero, locum tenere; scientes, quod erunt novissimi primi et primi novissimi; verum, fugientes potius cum Christo dignitates, eas non acceptent, nisi a Deo, tanquam Aaron, per sanctam obedientiam fuerint vocati.

Omnia scrutinia nostrorum Capitulorum Generalium, Provincialium et Localium, fiant per schedulas secretas, adeo ut nomina eligentium nunquam publicentur, prout vult ac mandat sacrum Concilium Tridentinum: nec sit licitum supplere absentium voces: et si contra huius decreti statutum ad quodcumque officium aliquis eligatur, talis electio omnimode irrita sit ac nulla.

Declaratur etiam universis Fratribus, quod in omni electione necessarium sit et sufficiens, ut qui electus erit habeat ultra dimidiam partem vocum; et notum facimus, quod, sub poena peccati mortalis, in omni electione, ille eligendus est qui melior et magis idoneus existimabitur ad id ad quod eligitur officium, quovis alio seposito respectu.

Quoad Capitulum Generale ordinatur, ut omni sexennio fiat, iuxta Breve Domini nostri Papae Pauli V, in festo Pentecostes, ut tantae rei maxime apto, ac a nostro Seraphico Patre in Regula designato; et in anno praefati Capituli Generalis eligantur Custodes a Vocalibus in Capitulo Provinciali: aliis vero annis eligantur tantum suffragiis Definitionis; et collocando Custodes

mittantur in locis custodialibus vel intra Custodiam. Et quia a Domino nostro Papa Urbano VIII per Breve determinatum fuit, ut unaquaevis Provincia duos habeat Custodes ad Generale Capitulum mittendos cum conditionibus in dicto Breve contentis: constituatur primo per unum scrutinium primus Custos, qui deferre debeat ad Generale Capitulum defectus Ministri Provincialis eo tempore cessantis, una cum necessitatibus Provinciae; et in eo primo scrutinio solus hic eligatur, dictusque Minister in illo non habeat vocem passivam; dein vero alter eligatur Custos in alio scrutinio, in quo supradictus Pater Minister vocem habeat passivam: et praefati Custodes vocales sint prout et Provincialis, et dato quod aliqua Provincia, ut in praedicto Breve statuitur, tractu temporis, debeat instituere maiorem numerum Custodum, hi eligentur in secundo scrutinio.

Neque eligantur Custodes ad Generale Capitulum ituri, illi qui non possunt pedester pergere, nisi actualiter essent Definitores Generales electi in praecedenti Capitulo. Idipsum intelligitur de Definitoribus Capituli Provincialis. Et non nominetur nec proponatur ille Pater, qui debet remanere Vicarius Provinciae, ante electionem Custodum.

In Generali Capitulo eligantur sex Definitores, quorum tres ad summum esse valeant ex iis, qui fuerunt in Capitulo proxime elapso; et in hac electione vocem passivam habeant cuncti Vocales, qui in dicto loco Capituli aderunt, et Rm̄us Pater Generalis habeat vocem activam. Horum autem Definitorum una cum futuro Generali erit definire, determinare et dijudicare causas omnes, ac declarare dubia quae in istis Constitutionibus

occurrent, nec non **providere** necessitatibus, ac disponere et ordinare tabulas **Provinciarum**.

Facta electione **Patrum Definitorum**, Rm̄us P. Generalis in eorum **manus** sigilla resignabit, et dicet culpam in publico **Capitulo**, eodem plane modo quo faciunt **Provinciales** in Capitulo Provinciali; quo facto, ab omnibus **Vocalibus** invocato prius Spiritu sancto cum solitis caeremoniis, **procedetur** ad electionem novi Generalis, qui, absoluto sexennio, liber remanebit ab omni Praelatura per **sex** alios annos.

In eodem **Capitulo** Generali eligatur Pater Procurator Generalis, et cum officium suum e pluribus capitibus magnae sit considerationis, determinatur, quod ab universo **Generali** Capitulo eligatur; ipse vocalis erit in sequenti **Capitulo** Generali; et cum absolverit sexennium, dicet culpam in publico refectorio, ante Capituli Generalis electionem; liberque manebit ab eodem Procuratoris officio per **sex** alios annos.

Et quamvis **mos** habeatur, ut Pater Generalis committat Patri Procuratori auctoritatem super aliquas Provincias, dum ille reperitur in Italia: ac super Provincias Italiae, dum reperitur in Ultramontanis; at tamen declaratur, **quod** Capitulum Generale eum eligit ad officium tantummodo Procuratoris: nam, quoad officium Commissarii, **pendet** a voluntate Patris Generalis, qui eidem illud committit plus minusve extensum, prout iudicat expedire.

Ad **facilitandam** expeditionem negotiorum, omneque obstaculum auferendum, quod ex paritate votorum oriri posset, determinatur a toto Generali Capitulo, quod in **Capitulis** Generalibus, ultra Rm̄um P. Ministrum Ge-

neralem, adsint semper sex Definitorum; unde, ubi completa erit electio Patrum Definitorum et Rm̄i Patris Generalis, si Generalis fuerit electus de gremio Definitionis, procedere oportebit ad electionem Patris Procuratoris, qui si non fuerit electus de eodem Definitionis gremio, sed de corpore Capituli, non erit procedendum ad electionem septimi Definitoris: verum, si fuerit electus de gremio Definitionis, fiat electio septimi Definitoris, ut compleatur Definitorum numerus maneatque vota numero imparia. Si vero Pater Generalis electus fuisset extra gremium Definitionis, et Pater Procurator intra gremium Definitionis, non fiat septimus Definitor, cum iam completus habeatur Definitorum numerus. Et in casu quo tam Pater Generalis quam Pater Procurator essent electi extra gremium Definitionis, debet Rm̄us Pater Procurator exclusus remanere e gremio Definitionis, cum iam completus habeatur numerus Definitorum ab hac praesenti Constitutione ordinatus.

DECRETUM CLEMENTIS VIII ET URBANI VIII.

Ut omnis Officiorum ambitus occasio praeccludatur, caveant omnes a directa vel indirecta vocum seu suffragiorum procuratione, tam pro seipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis Locorum, tum in caeteris praesertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas et censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a Nobis, vel Suc-

cessoribus nostris, et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes poenas ad complices ac simpliciter scientes et non revelantes extendimus.

In Superiorum et Officialium omnium electionibus, forma praescripta a sacro Concilio Tridentino et Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur, iurentque Electores, secundum veritatem cuiusque conscientiae, probiores ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in primis, et ante omnia perlegantur Constitutiones de qualitate et requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, et Praelaturas illi praecipue eligantur, qui possint et consueverint Regulas Ordinis et Constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium Chori, ac vestitum, et victum communem.

1626. Si Cardinalis Protector Ordinis Capitulum praesideat, aut quis pro eo, et sermone Electores alloqui desideret, ipsum omni attentione audiant.

1627. His finitis, Praeses Capituli interrogat, num quis aliquod impedimentum sciat, sive ex parte eligentium sive ex parte eligendorum, aut undequaque, legitimae electioni contrarium? Idque tribus vicibus per semel - bis - ter interrogat. Si nullus aliquid responderit, neque exemptionem a concursu aliquis praetendat (utrumque vero melius pridie Praesidi Capituli manifestatur), omnes statim genua flectunt et Confiteor recitant: quo recitato, Praeses Vocalibus absolutionem impertitur sequenti modo:

Misereatur vestri etc. Indulgentiam etc. Deinde:

FORMULA ABSOLUTIONIS.

Dominus noster Iesus Christus per merita suae sacratissimae Passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, necnon sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione Votorum et Regulae, Constitutionum, Ordinationum et Admonitionum Maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem et indulgentiam omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus iam confessi estis: et ad effectum electionis, canonice ac rite nunc per vos celebrandae, quatenus opus est et vos indigetis, vos habilito. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

1628. Absolutione impertita, invocatur Spiritus sanctus cum Hymno *Veni Creator* (n. 1535) et sequentibus Versiculis, et Orationibus.

- V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:
 R. Et renovabis faciem terrae.
 V. In Conceptione tua, Virgo, Immaculata fuisti:
 R. Ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti.
 V. Ora pro nobis, beate Pater Francisce:
 R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

- V. Iustum deduxit Dominus per vias rectas:
 R. Et ostendit illi regnum Dei.
 V. Domine, exaudi orationem meam:
 R. Et clamor meus ad te veniat.
 V. Dominus vobiscum:
 R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti; quaesumus: ut, qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis foetu novae prolis amplificas, tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere.

Ecclesiam tuam beati Antonii, Confessoris tui, commemoratio votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio, et operatio, atque electio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

In fine dicuntur 5 Pater noster et Ave Maria expansis manibus.